

Bibliothèque numérique


medic@

Herardin, Laurent - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - [De colli
femoris fracturâ]

1755.

*Paris : Typis Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae*

Cote : ms 2342, n°48



D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

I.



UÆ in orbe constituendo supremum naturæ conditorem prædicat sapientia, eadem & ipsum in efformando homine celebrat. Omisâ enim animæ præstantiâ, quæ oculos fugit & captum, argumento est eximia corporis fabrica, quæ partes intuenti exhibet miro quodam artificio sic conciliatas, ut aliæ aliis, quasi famulante intervant. Imposito aimirum sibi munere quàm necessariò, tam obsequenter funguntur mutuo singularum erga se invicem officio, ut ipsunmet Deum præ se sentias. De omnibus hîc loci differere vanum sit : quapropter,



2
cū colli femoris fractura nobis sit exponenda, primam duntaxat extrēmitatis inferioris partem explorabimus.

II.

FEMUR itaque, os totius corporis ut longè crassissimum, sic & maximum, triplici modo spectari debet. In eo quippè observantur corpus & extremitates quarum alia superior, alia verò inferior nuncupatur. Circa utramque plurima occurrunt expendenda.

III.

QUONIAM autem superior ad propositum nostrum præsertim conducit, in ipsā quoque potissimum immorabimur. Haud levem responsionibus ansam præbent articulatio cum ossibus adjacentibus, partes tū eminentes, tū depressæ, vulgò excavatæ, cartilaginee, glandulæ sinoviales, ligamenta, vasæ denique & muscoli.

IV.

His porrò omissis quæ ad cæterarum femoris partium solutiones attinent, de ejusdem colli fracturâ dicemus.

V.

TRIFARIAM dividitur istud collum. Hinc triplici in partem diffingi potest, mediâ scilicet, & extremis. Præterea observatū non indignum est quòd, si epiphisis remanserit femoris caput, (illud autem in adultis haud rarò contingere experientiâ teste compertum planè est) tunc fieri queat caput inter & collum disjunctio; qui quidem morbus reglutinationis nomine vulgò designatus, fracturæ instar considerari solet, imò & curari.

VI.

QUÆ cæterorum humani corporis ossium fracturam procreant, easdem etiam causas colli femoris disruptioni locum dare nemo nescit.

SIGNA verò femoris luxationem & ipsius colli fracturam; aut à capite disjunctionem denotantia non ita facile in obesis præsertim à se invicem secernuntur; undè difficilis admodum diagnosi. In ultimo tamen casu, si partes disjunctionem perpessæ à se-met leviter amoveantur, & dehinc simul fricantur, tunc existit mollis quidam ac peculiaris earundem partium strepitus, non nisi à peritissimo Chirurgo discernendus, morbi que speciem procul dubio designans.

VIII.

PESSIMA est hujus-ce modi fracturæ prognosi. Quantacumque enim sit Chirurgi sagacitas, qualesve cautelas adhibeat, plurima, nec-non gravissima impendent accidentia difficili præcavenda negotio, difficiliori extirpanda, ad hæc enim remanet ferè semper in posterum claudicatio.*

IX.

COGNITIS fracturæ causis, exploratâ sedulò diagnosi, institutâque prognosi, omni ope atque operâ curationem aggredi decet. Hæc autem in eo sita est ut fragmenta pristinas in sedes non reducantur tantum, sed ibi quoque retineantur.

X.

PRIMò quidem idoneus ægroto situs est conciliandus; tunc adhibendæ sunt extensiones & contra-extensiones. Quoniam verò si robustior fuerit homo fracturâ laborans, maxima vis ad extendendum ac retinendum requiritur, insufficientibus haud rarò manibus alia occurrunt media, habenæ scilicet, mantilia, fasciæ, imò & pro re natâ Hildani lorum ab Heistero commendatum.

XI.

FAVENTIBUS his-ce instrumentis partes fractæ in diversa distrahuntur, obtinentque necessarium extensionis gradum, eo prorsus tempore Chirurgus fragmenta in sedem reponit naturalem, ac fasciarum, & sitûs ope retinet.

* Nuper tamen hujus-ce actûs Præses clarissimus femoris colli fracturam sine claudicatione felici cum successu restauravit.

XII.

HÆC ubi demùm ex artis præscripto ritè peracta fuerint , accidentia antevertere perutile est , & præsentia , si quæ sunt , congruentibus remediis extemplò debellare.

*de chaumout
en barmy*
Has Theses , DEO JUVANTE , & præside M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER , Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro , tueri conabitur LAURENTIUS HERARDIN , Calvomontiensis , Artium Liberalium Magister.

PARISIIS ,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
Die 13^a Septembris anno salutis 1755. à sesquisecondâ
post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO.

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg.
Typographi, viâ San-Jacobiâ, sub signo Olivæ.